

DISSERTATIUNCULA
DE
EDECUMATA CHRILIARUM AD
ELOQVENTIAM COMPARANDAM
UTILITATE,

Qua
ad auscultandas
QUINQUE CHRILAS VERBALES,
à totidem

PROGYMNASTIS

Romano partim, partim Teutonico idiomate con-
ceptas, easque memoriter cras, DEO fortunante, post IIX.
antemeridianam in Lyceo nostro Salfeldensi
publicè recitandas,

GENEROSISSIMOS AC NOBILISS. AULÆ PROCERES,
PLURIMUM REVERENDUM ECCLESIAE MINISTERIUM,
AMPLISS. PRÆFECTURÆ SENATUSQUE COLLEGIUM,

Nec non

UNIVERSUM LITERATORUM AC LITERATURÆ
FAUTORUM ORDINEM,

officiosissimè ac peramanter

invitat

M. CHRISTIANUS ZEIDLER,
RECTOR.

SALFELDIAE,

Typis JOHANNIS RITTERI, Typogr. Ducal. ibidem.

59



PROGNYMNASIS
EDUCATIONIS CHRISTIANAE
IN RECTORIA GYMNASII
LITURGICAE

PROGNYMNASIS

IN RECTORIA GYMNASII
LITURGICAE
PUBLICE

IN RECTORIA GYMNASII
LITURGICAE
PUBLICE

UNIVERSITÄT LITURGICAE
LITURGICAE

M. CHRISTIANUS RECTOR
RECTOR





LECTORI BENEVOLENTISSIMO
SALUTEM OMNIMODAM!



Nervosè non minùs, quàm verè pri-
fcus inter Grammaticos omnium generis sui
princeps Scriptor, (a) Priscianus, CHRIAM,
nobile illud ac planè incomparabile Artis Ora-
torix Progymnasma, ab insigni, quod ad uni-
versam confert Eloquentiam, emolumento in
Romana sua Lingva perpetuò adpellitat (b) USUM.

Usum nimirum quia planè singularem præbet inter o-
mnes reliquos Proagones Rhetoricos, ad magnificum Poten-
tissimæ (c) *Reginæ, Eloquentia, Palatium* plenis, quod ajunt,
velis contendendi, meritò peculiari hunc jure Latinorum,
in Lingva sibi vendicat Titulum. Etenim κατ' ἐξοχήν & se-
cundum excellentiam hæc Progymnasmatum, vel ut verbo
modò laudati Grammatici utar, Præexercitamentorum Svadæ
palmaria species Χρεία, USUS, vocatur, quia χρείωδης, u-
tilis est ad omnem Eloquentiæ formam, ut præclarè com-
mentatur eruditissimus pariter ac felicissimus Græcarum
literarum in Tubingensi Academia quondam Professor,

A 2

Mar-

a) Barthius Lib. XI. Adversar. Cap. II. p. m. 514.

b) Libro de Præexercitamentis Rhetoricæ ex Hermogene, Grammaticæ
pag. m. 867. seq.

c) Alluditur ad Exercitationes Oratorias à Jesuitis in Gallia primùm
constructas, deinde verò à Collegio Societatis Mogunt. revisas &
Moguntix editas M DC LXIX. cui splendidum hunc Titulum
translatum fecerunt: REGINÆ PALATIUM ELOQUEN-
TIÆ

Martinus Crusius, (d) in *Qv. Rhetoricis*. Hoc ipsum nimirum est, quod etiam Ælius THEON, nobilis Sophista Alexandrinus, (e) primus, ut creditur, Chriarum, [non(f) Chreiarum, ceu monstrosè nonnulli scribunt,] Auctor & Inventor, jam olim inter prima quasi Artis hujus incunabula observavit, quòd scil. ideò USUS nomen hæc Exercitatio excellenti adpellatione obtineat, quia in vita usum habeat splendidiorē, quàm ulla alia Exercitia Declamatoria (g). Quæ sanè omnia vel ex Tripode, quòd ajunt, dicta esse tùm rerum Magistra omnium, Experientia, tùm Artificum hac in palæstra exercitatissimorum probatissima suffragia sic corroborant, ut res extra omnem dubitationis aleam posita videatur.

Quandoquidem, ut præclare habet Masenius, Jesuita in Oratoria facultate non incelebris, (h) Chriarum usus „perquam ad profectum est accomodatus, eò quòd rudiorē rem etiamnum juventutem facili via per locos extrinsecos „ad rem aliquam illustrandam amplificandamque ducat.

Et

d) Hic Vir eruditus per Germaniam, Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliam, Sveciam, Daniam, Hungariam, Græciam, Turciam, Ægyptum & Palæstinam celebris Tubingæ Græcas literas, quæ aliàs vulgò in Scholis adeò juventuti sunt tædio, ut juxtà tritum: *Nec legi, nec intelligi debeant*; tantâ frequentia docuisse fertur, ut ob Auditorum numerum, cum aliquando HOMERUM legeret, Auditorio accessionem adjungere necesse fuerit. V. Königii Biblioth. Vet. & Nov. p. 226.

e) Primus Auctor Chriarum creditur Ælius Theon, Sophista Alexandrinus, de quo traditur, nec Orationes, nec Carmina eum potuisse scribere, cum artificium tamen egregiè novevit, & Artis istius præcepta dedit. Henningius *Chriolog.* Sect. I. Membr. I. §. 10. p. 5.

f) Franciscus Pomey, Societ. Jesu, in Novo Candidato Rhetoricæ pag. m. 61. CHRIA dici debet, non CHREIA, ut vulgus imperitorum tam Gallicè; quàm Latinè loquitur. Etenim vox Græca *χρεία* scribitur, uti vides, per *ei*, quæ Diphthongus Latinitate donata non dissolvitur, sed exprimitur ut *i* longum. Sicut igitur non dicis, *Magia* & *Alexandreia*, sed *Magia* & *Alexandria*, quòd scil. scribantur per *ei*; ita nec *Chreiam* dicere debes, sed *Chriam*.

g) Henningius *CHRIOLOG.* Sect. I. Membr. I. §. 4. p. 3.

h) *Lib. II. Palæstr. Orator. Cap. 20. p. m. 531.*

„ Et paulò post: (i) Ubi verò hâc Arte in Chriis exercitati
„ fuerint adolescentes, jam ad omne dicendi genus expe-
„ ditum iter tenebunt. Nihil enim aliud plures Chriæ de
„ eadem institutz materia sunt, quàm membra quædam
„ integræ atque absolutæ Orationis, quæ nullô deinde nego-
„ tio in ordinem ad persuasivam accommodatè dirigentur.
„ Et hoc est singulare illud emolumentum, quod in ejusmo-
„ di Chriarum tractatione latere sentio.

Senferunt hoc ante Masenium præcellentissimi Artis hu-
jus Doctores ac Ductores, tum vetusti, APH THONIUS &
THEON, Græci, PRISCIANUS & QUINCTILIANUS, La-
tini, tum recentiores superioris & decurrentis seculi Scri-
ptores, JOACHIMUS CAMERARIUS, ALPHONSUS
TURRETANUS, PETRUS NUNNESIUS, BURCHAR-
TUS HARBARTUS, JOH. MICRÆLIUS, CHR. PRÆTO-
RIUS & JOH. HEINR. URSINUS, &c. nullumq; alium in-
finem tam laudabilem operam tum in hoc, tum in reliquis
Progymnasias ac Prolusionibus Artis Oratoriæ in gratiam
studiis addictæ juventutis explanandis consumpserunt. Si-
cuti verò horum omnium monita ac placita propter chartæ
angustiam allegare non possumus, neque etiam necessarium
esse arbitramur; ita vicissim temperare nobis hautquaquam
valemus, quin è recentissimo Scriptorum hujus Facultatis
choro unum vel alterum præclarum Scriptorem adducamus,
sententiæ nostræ suffragantem, & Chriarum insignem in-
Scholis utilitatem solidè asserentem. Sic verò in rem nostram
hac in materiâ scitè, ut solet, differit felicissimus Oratoriæ
Germanicæ Doctores ac Zittaviensis Gymnasii Rector meritissi-
mus, Dn. M. Christianus Weissius, (k) in Oratore Politico
„ Tevtonico: Notum est, orationem aliquam nihil aliud in
„ se continere, quàm meras, ut vocant, Chrias artificiosè in-
„ vicem coherentes. Ex quo consequitur, diligentem & assi-
„ duam hîc exercitationem oppidò esse necessariam. Cum quò
egregiè coincidit, quod Clarissimi illustris Quedlei Con-Re-
ctoris, Dni. M. Joh. Henningii Musa limatum edidit judici-

A 3

um

i) l. c. p. 536.

k) Sect. I. Cap. III. §. 1. p. 24. conferatur Sect. I. Cap. VII. §. 6. p. 134.

„um in Chriologiae suae Praefatione: Ut verò omnia hæc Pro-
 „gymnasmata singularem habent utilitatem; ita palmam iis
 „quasi præripit CHRISIA, ab *USU* dicta. Quibus enim locis
 „completam & absolutam Orationem compositurus utitur;
 „hæc fermè omnia Chria complectitur. Constat ea Ratio-
 „nibus, Exemplis, Contrariis, Similitudinibus & Testimo-
 „niis, quibus Orationem absolvi, quis est qui ignorat? A quò
 „etiam minimè abluunt, quæ Doctissimus Dn9. M. Joh. C.
 „Zopffius disserit (1) in Introductione ad Eloquentiam per
 „Artificium conscribendi Chrias: Chria, inquit, tracta-
 „tio tantum Progymnasmatibus est aliis anteponenda, quan-
 „tum utilitatis præ illis Orationi confert. Accedit enim
 „Chriam tractandi modus ad Orationis tractandæ modum,
 „quàm proximè, cum eadem argumenta confirmantia, am-
 „plificantia & illustrantia hic fuerint adhibenda, quæ in Ora-
 „tione integra. Adeò ut qui noverit Chriam, non poterit
 „non orationem prolixam componendi præcipua tenuisse
 „adminicula.

Quæ cum ita se habeant, tantaque sit ac tam egregia
 Exercitiorum Chriologicorum utilitas, quæ ex sedula ea-
 rum tractatione & exercitatione in Eloquentiæ cultores
 redundare solet, meritò hætenus, qui salute sub nostris
 signis militantium nihil prius habeo, nihil antiquius, in pri-
 mis auctor iisdem fui, ut in hoc Progymnasmate præ cæ-
 teris ingenii vires periclitarentur. Cujus rei gratia in
 Collegio quodam privato per aliquot mensium decursum,
 è probatissimis tum vetustioribus, tum recentioribus Ar-
 tis hujus Chiragogis brevibus, sed solidis præceptis præ-
 missis, prolixâ exemplorum copia declarare laboravi, quò
 pacto omnis generis Chriae *verbales, activæ, mixtæ*, expedite
 possint elaborari.

Quoniam verò (m) *nulla Ars sine exercitatione aliqua per-
 cipi potest, ut ipse Eloquentiæ Parens, & exercitatio super omnia
 dominatur*, ut Ebræorum Magistri graviter judicant; non
 abs re à præceptorum fideli explanatione variarumque

Chria-

1) Sect. I. Cap. I. § 6.


m] Lib. 2. ad Treb. Epist 19.


Chriarum *Romano partim, partim Teutonico idiomate* (n) dispositarum compositione ad ipsam nonnullarum recitationem *priscis etiam usitatam* (o) recta & inoffenso quasi pede progredimur. Nimirum *Exemplo Ciceronis*, (p) qui Græcè declamitare apud Cassium instituit, Latine (in patria Lingva) apud Brutum exerceri voluit; sistemus in proscenium nonnullos è nostratum numero Progymnastas, Chrias quasdam in Latina, quasdam etiam in vernacula Lingva elaboratas ex prompta memoria, & quidem *extra Cathedram* (q) recitatuos, cui recitationi & exercitationi Studiosæ publi haut parum proficua, cum Oratore Græcorū nobilissimo, (r) Demosthene, merito primas, secundas, tertias tribuimus gravissimis de causis, alio tempore fufius cum DEO exponendis. Jam enim adhuc significandum restat, quâ de materia viribus æqua, ut cum Nasone loquar, (s) dicturi sint nostri Progymnastæ. Nimirum

I. Jo-

- n) Ex Consilio scilicet Augustissimi seculi nostri Oratoris, Augusti Buchneri, Parte II. Epistolarum Ep. 128. hunc in modum dextrè judicantis: *Quoniam major ac promptior nobis patriæ lingvæ copia suppetit, non inutile existimaverim, si proposita themata primùm Germanicè pertractent, & in Latinum deinceps convertant Sermonem. Nec non Eruditissimi Mechovii, Hermathenes Traæt. III. Cap. V. de Palatio Humanitatis p. m. 519. Quemadmodum v. in Latinis Græcisq; id fieri ex usu est, ita in Vernaculo sermone non minus hujusmodi Exercitationes fieri velim, ne in Patria lingva hospites ac peregrini esse videantur.*
- o] Plin. Secundus, l. 5. ep. 3. *Optima ea Veterum consuetudo erat, quâ licet sibi scribendo & emendando jam satisfacerent, non propterea finerent sua in omnium manus venire, sed ea peritis atq; intelligentibus recitarent.*
- p) Epistol. 22. l. 16. famil.
- q] Videatur laudatiss. Dominus VVEISSIUS, Orat. Polit. Teuton. Præfatione.
- r) Cic. de Orator.
- s] Melch. Junius *Methodo Eloquentiæ Comparandæ* Cap. 16 p. m. 157. *Materia idonea est, quæ vires nostras non superat. Unde illud Poëtæ in Arte:*
Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus: Et versare diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.
Qui enim viribus suis scribendi æstimant materiam, non nisi quod sustinere possunt, in se onus recipiunt, &c.

- I. JOHANNES GEORGIUS *Söffing* / Lobensteinio-Variscus,
 è Latinorum omnium eloquentissimi, Ciceronis
 Orat. pro Planc. Dictum illud egregium: PIETAS
 EST FUNDAMENTUM OMIUM VIRTUTUM;
 Latino dicendi genere evolvet.
- II. JOHANNES *Gottlieb Große* / Crimmiciâ-Misnicus, aure-
 am Apostoli Tarsensis *παρρησιον*: OMNIA, QUÆ-
 CUNQUE FACITIS, IN VERBO AUT IN OPE-
 RE, FACITE IN NOMINE DOMINI NOSTRI
 JESU CHRISTI &c. Coloss. III. 17. vernaculo ser-
 mone declarare conabitur.
- III. JOHANNES HEINRICUS REIBER, Blanckenhainensis
 Thuringo, indefinens devotæ orationis studiū ex lo-
 co Paulino I. Thes. v. 17. ORATE INDESINENTER; omnib?
 Christianis Latino discursu pro virili comendabit.
- IV. JOHANNES GEORGIUS REINMANN, Salfeldensis, juxta
 ductum Gnomes Horatianæ Libr. 1. Satyr. 4.
 --- --- --- --- --- --- --- --- Commissa tacere
 Qui nequit, hic niger est, hunc tu, Romane, caveto;
 fœditatem loqvacitatis, & contrà taciturnitatis
 dignitatem stylo vernaculo *καθόναμιν* delinea-
 bit.
 Et
- V. JOHANNES ABRAHAMUS MAHN, Geithensis Misnicus,
 super Titi Lucretii Cari Distichon l. 5. Carmin.
 Divitiæ grandes homini sunt, vivere parcè
 Æqvô animô, neq; enim est unqvam penuria parvi;
 De parsimonia colenda Romanorum lingua differet.
 Hi sunt, L. B. quinque illi Progymnastæ, qui partim
 Latinè, partim Germanicè de materiis modò commemoratis
 Chrias memoriter recitabunt. Quos ut Athenæi nostri
 PATRONI & EVERGETAE colendissimi, aliique stu-
 diorum nostrorum FAUTORES ac AMICI svavissimi, be-
 nevolè auscultare, honorificaqve sua præsentia nostros
 ad similia Exercitia Oratoria *σὺν Θεῷ* posthac haben-
 da excitare velint, eâ, qua par est, observantia & studio
 majorem in modum obtestamur. P. P. Salfeldiæ d. 8.
 Kal. JUNII A. O. R. CIJ IO CLXXXII.





90 A 6406

ULB Halle 3
002 916 622




56

Retro V

VDMA







B.I.G.

Farbkarte #13



INCULA

ARIARUM AD
OMPARANDAM
TE,

59

andas
S VERBALES,

NASTIS

tonico idiomate con-
DEO fortunante, post IIX.
nostro Salfeldensi
andas,

SS. AULÆ PROCERES,
CLESIAE MINISTERIUM,
TUSQUE COLLEGIUM,

AC LITERATURÆ
DINEM,
peramanter

S ZEIDLER,
R.

Æ,
ypogr. Ducal. ibidem.

